



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Tractatvs Tertivs. De decreto motiuo, & fine Incarnationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

QVÆSTIO XIV.

Ex qua virtute Christus satisfecerit ?

1. **D**icendum, quod satisfecit ex pluribus virtutibus. Ratio est, quia Christus actum, quo voluit satisfacere, elicit propter omnes honestates, propter quas talis actus poterat elici, adeoque ex omnibus virtutibus, ex quibus poterat elici; sed talis actus poterat elici propter honestatem satisfaciendi Deo, quæ est honestas iustitiæ, propter honestatem subueniendi nobis, quæ est honestas misericordiæ, & propter plures alias honestates; ergo Christus illum actum elicit propter omnes istas honestates; sed cum actus elicitur propter motiuum alicuius virtutis, talis virtus elicitur concurrat ad illum actum; ergo ad actum, quo Christus voluit satisfacere pro peccatis nostris, concurrerunt plures virtutes, nimirum misericordia erga nos, iustitia erga Deum &c.

2. Concluditur ex dictis incarnationem, ex suppositione peccati fuisse necessariam ad satisfaciendum Deo ex rigore iustitiæ. Cum enim nulla pura creatura posset satisfacere, persona diuina in natura assumpta posset ex rigore iustitiæ satisfacere, necessarium fuit, vt aliqua Persona diuina assumeret aliquam naturam creatam.

TRACTATUS III.

*De decreto, motiuo, & sine Incarnationis.**S. Thom. qu. 1. art. 3.*

DOSTQVAM S. Thomas art. 1. & 2. egit de conuenientia, & necessitate incarnationis, articulo 3. examinat, vtrum Deus ita sit incarnatus propter conuenientiam incarnationis secundum se, vt etiam si Adam non peccasset, ac proinde incarnatio non fuisset necessaria ad reparandum genus humanum à peccato Adæ, nihilominus esset incarnatus; an potius Deus ita sit incarnatus ad reparandum genus humanum, vt si Adam non peccasset, ac proinde genus humanum non indigisset reparatione, Deus incarnatus non fuisset? Hinc patet quæstionem esse de decreto, quo Deus voluit incarnari, ac de motiuo, & causa finali, propter quam Deus est incarnatus. Duplex nimirum est motiuum, & causa finalis, propter quam aliquid fit. Primum est motiuum principale, vel pars motiui principalis, propter quod ita aliquid fit, vt eo cessante, non fieret, & hoc vocatur etiam motiuum *sine quo non*. Secundum est motiuum purè acces-

orium, propter quod ita aliquid fit, vt eo cessante, ac remanentibus alijs motiuis, illud nihilominus fieret. Ex. gr. cum ægrotus sumit medicinam in remedium ægitudinis, & etiam quia talis medicina est delectabilis, sed ita, vt si medicina non indigeret, illam nonsumeret propter solam delectabilitatem, si autem medicina indigeret, sumeret illam, etiam si non esset delectabilis, sola sanitas est motiuum principale, & *sine quo non*, delectabilitas autem est motiuum purè accessorium. Hoc ipsum Vasquez tom. 1. in 3. par. disp. 11. cap. 7. n. 75. explicat sub alijs terminis, ac dicit, finem esse duplicem, motiuum nimirum, & impulsiuum. Finis motiuus est, qui est causa, vt opus simpliciter fiat, itaut sine ipso non fieret. Finis impulsuus est, qui solum est causa, vt opus, quod etiam sine ipso simpliciter fieret, fiat citius, alacrius, intensius, vel alio modo, quam sine ipso fieret. In casu igitur nostro quæritur, vtrum Deus ita voluerit incarnari in remedium peccati Adæ, vt remedium peccati fuerit motiuum principale, & sine quo non incarnaretur, an ita, vt fuerit finis solum impulsuus, ac motiuum purè accessorium, & sine quo incarnaretur, sola autem conuenientia incarnationis secundum se, & præciso peccato, fuerit motiuum principale. Hinc rursus patet, quod licet quæstio videatur esse de aliquo purè conditionato, verè est de aliquo actuali, & absolute existente, cum quærat, propter quod motiuum principale, & per quod decretum diuinum, de facto intenta, & facta fuerit incarnatio. Vt igitur quæstioni satisfiat, tria puncta essent examinauda. Primum est, vtrum prius, an posterius, an simul à Deo decretum fuerit incarnatio, & permissum peccatum Adami. Sed quia de hoc puncto ex professo egimus tom. 1. qu. 69. vbi agentes de ordine diuinorum decretorum vniuersaliter examinauimus, vtrum Deus omnia, quæ decernit, in eodem signo, & eodem decreto indiuisibili decernat, supponentes doctrinam eo loco traditam, hoc loco examinabimus secundum, & tertium punctum. Secundum igitur punctum est, vtrum remedium peccati fuerit motiuum adæquatum, & causa finalis adæquata incarnationis? Tertium est, vtrum remedium peccati fuerit causa finalis, *sine qua non* incarnationis, itaut Deus non fuisset incarnatus, si Adam non peccasset.

QVÆSTIO XV.

Vtrum remedium peccati fuerit motiuum adæquatum, & causa finalis adæquata incarnationis?

1. **V**idetur ex vna parte motiuum adæquatum ponendi incarnationem non fuisse remedium peccati, sed fuisse ipse Christus, & ipsa summa perfectio, quam humanitas

nitatis Christi habet ex vnione cum Verbo. Quod enim propter seipsum, vel propter suam perfectionem intrinsecam est summè amabile, debuit propter seipsum amari, & intendi vt finis adæquatus, & non debuit intendi, vt medium ad aliam finem minus bonū: inconueniens enim est, vt quod est magis bonum, ametur vt medium propter aliquid minus bonum: sed Christus propter seipsum, & propter summam perfectionem, quam humanitas habet ex vnione cum Verbo, est summè amabilis: ergo Christus propter seipsum, tanquam propter finem adæquatum, debuit amari, & poni, ac non debuit amari, & poni vt medium propter nostram salutem.

2. Secundò ex alia parte videtur motiuum adæquatum incarnationis fuisse nostra salus, & redemptio, ac remedium peccati. Illud enim fuit motiuum adæquatum incarnationis, quod exprimitur in Scripturis; sed in Scripturis vbique exprimitur nostra salus, & redemptio, ac remedium peccati: ergo &c. Probat minor. Luca enim 19. dicitur: *Venit filius hominis querere, & saluum facere, quod perierat.* Ioannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ad Rom. 3. *Quem posuit Deus propitiatorem per fidem propter remissionem præcedentium delictorum.* Ad Galatas 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* 1. ad Timoth. 1. *Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere.* 1. Ioannis 3. *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli, & ibid. cap. 4. Misit filium suum propitiatorem pro peccatis nostris.* Ideò Ecclesia in symbolo fidei dicit: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis &c.* Confirmatur: nam Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione, ex his, aliisque locis Scripturæ infert, Christum non ex alia causa venisse, nisi vt nos saluaret, & redimeret, dicens: *Quibus appareret, Dominum Iesum Christum non aliam ob causam in carne venisse, nisi vt viuificaret, saluos faceret, liberaret, redimeret, illuminaret: sed si non venit ob aliam causam, nostra salus, & redemptio fuit causa finalis adæquata incarnationis: ergo &c.*

3. Respondeo Deum incarnationem decreuisse, & incarnatum fuisse propter omnia bona per se amabilia, tum ipsi Deo, tum humanitati Christi, tum nobis, ac proinde motiuum adæquatum, & causam finalem adæquatam incarnationis includere omnia hæc bona. Ratio est, quia Deus per omnia sua opera intendit omnia bona, quæ ex ipsis proueniunt; siquidem nullum bonum datur; in vniuerso præter intentionem Dei, ac per accidens respectu Dei: ergo Deus etiam per opus incarnationis per se intendit omnia bona, quæ ex incarnatione prouenerunt, ideoque causa finalis adæquata, & motiuum adæquatum incarnationis includit omnia hæc bona: nostra autem salus, remedium peccati &c. sunt

quidem causa finalis, sed inadæquata incarnationis.

4. Inferitur primò finem cui incarnationis fuisse Deum, humanitatem Christi, aliasque creaturas rationales, & præcipuè nos homines. Probat: nam finis cui alicuius operis est id, quod ita amatur gratia sui, & amore benevolentia, vt in eius bonum fiat tale opus; sed Deus gratia sui, & amore benevolentia amat seipsum, humanitatem Christi, & creaturas rationales; creaturas autem irrationales non amat gratia sui, & amore benevolentia, ideoque de irrationalibus dicitur 1. ad Corinth. 9. *Numquid de bobus cura est Deo?* opus autem incarnationis fecit propter suam gloriam extrinsecam, propter bonum humanitatis Christi, propter salutem, & redemptionem hominum, & propter bona, quæ ex incarnatione accesserunt ipsi Angelis; ergo &c. Finis qui incarnationis fuerunt omnia bona, quæ ex incarnatione accesserunt fini cui; sed Deo ex incarnatione accesserunt sola bona extrinseca gloriæ: humanitati Christi accesserunt, tum bona intrinseca ipsius vnionis hypostaticæ, eximie beatitudinis &c. tum bona extrinseca; nimirum gloria redemptoris, exaltatio nominis &c. homines ex incarnatione consecuti sunt redemptionem, gratiam, & prædestinati etiam gloriam: Angeli quoque consecuti sunt plura bona: ergo hæc omnia fuerunt finis qui incarnationis.

5. Inferitur secundò finem cui vltimum, incarnationis esse Deum, post Deum humanitatem Christi, post humanitatem Christi homines, & cæteras creaturas rationales. Probat: nam finis vltimus omnium operum, Dei est ipse Deus: siquidem vt dicitur proverbiorum 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Deus: finis cui secundus post Deum est creatura propinquier Deo: sed humanitas Christi est Deo propinquissima propter vnionem hypostaticam: ergo &c.* Confirmatur: nam sicut Deus, quia infinite amatur à seipso, est finis cui vltimus, sic humanitas Christi, quia post Deum summè amatur à Deo, est finis cui secundus post Deum. Adde homines fuisse finem cui magis præcipuum incarnationis, quam Angelos. Ratio est, quia vt homo dicatur esse finis magis præcipuus, sufficit, vt in aliquo individuo fuerit finis magis præcipuus, ac dilectus supra omnes Angelos: sed homo in aliquo individuo, nimirum in Christo, & B. Virgine fuit dilectus supra omnes Angelos: ergo &c. Secunda ratio est: Deus per incarnationem voluit hominibus maiora bona, quam Angelis: ergo &c. Quia verò ex hominibus prædestinati per incarnationem consequuntur maiora bona, quam reprobis, ideo prædestinati sunt finis cui magis præcipuus incarnationis, quam reprobis, & ex prædestinatis, qui consequuntur beatitudinem maiorem, sunt finis magis præcipuus, quam qui consequuntur minorem. Ex proportionali ratione finis qui vltimus incarnationis, est gloria

QVÆSTIO XVI.

gloria Dei, finis qui secundus est perfectio, præsertim intrinseca humanitatis Christi; bona autem, quæ ex incarnatione proueniunt cæteris creaturis rationalibus, tenent tertium locum.

6. Ad 1. concedo primam partem maioris, nimirum quod id, quod propter seipsum est summè amabile, debuerit propter seipsum amari, & intendi; sed nego secundam partem, quod nimirum debuerit amari vt finis adæquatus, & non etiam vt medium ad alium finem. Vnumquodque enim debet à Deo amari propter totam amabilitatem, quam habet; ergo si aliquid habet duplicem amabilitatem, vnam in ratione finis, alteram in ratione medij, debet amari, non solum vt finis, sed etiam vt medium: sed Christus non solum habet summam amabilitatem in ratione finis propter suam perfectionem, sed etiam in ratione medij, in quantum fuit medium optimum ad nostram salutem, & redemptionem; ergo &c. Ideo Scriptura insinuat Christum amatum fuisse, tum ratione sui, tum propter nos. Quod fuerit amatus ratione sui, clarè significauit Pater, dum Matth. 3. auditus est dicere, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit.* Quod fuerit amatus, & intentus propter nos, est de fide, cum in symbolo dicamus, *qui propter nos homines &c.* & clarè probatur testimonijs Scripturæ allatis in secundo argumento. Apostolus ad Colossen. 1. clarè insinuat Christum intentum fuisse, tum ratione sui, tum propter nos, dicens: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum.*

7. Dum opponitur: inconueniens est bonum maius amari vt medium propter bonum minus: distinguo, vt purum medium, concedo: vt medium non purum, nego. Non est inconueniens, imò maximè conueniens est, vt vnumquodque ametur propter totam suam bonitatem, adeoque vt si non solum est bonum in ratione finis, sed etiam in ratione medij, non solum ametur vt finis, sed etiam vt medium. Licet autem quod amatur vt purum medium minus ametur, quam finis, tamen quod amatur simul vt finis, & medium, potest magis amari, quam finis, & maius bonum, dum amatur propter se, & propter minus bonum, magis amatur, quam minus bonum.

8. Ad 2. Allata testimonia Scripturarum probant quidem remedium peccati fuisse motiuum incarnationis; at non probant fuisse motiuum adæquatum, præsertim cum sint etiam testimonia Scripturarum ostendentia Christum intentum etiam, & amatum fuisse propter seipsum, & propter summam perfectionem, quam humanitas accepit ab vnione hypostatica. Augustinus dicens, Christum non ex alia causa venisse, nisi vt nos saluaret, negat solum Christum venisse propter aliam causam, itaut propter illam venisset, etiam si nos non indigeremus salute, & redemptione à peccato, vt magis explicabitur quæstione sequenti.

Virum remedium peccati fuerit causa finalis sine qua non, incarnationis, itaut Deus non incarnatus fuisset, si Adam non peccasset?

1. **V**idetur, quod Deus incarnatus fuisset, etiam si Adam non peccasset, ac proinde remedium peccati non fuisse causa finalis, sine qua non incarnationis. Vt enim dictum est quæstione 4. Deus semper facit id, quod est melius, ac magis conueniens; sed etiam si Adam non peccasset, melius, & conuenientius fuisset, vt Deus incarnaretur, quam vt non incarnaretur; ergo &c.

2. Secundò, si Adamo non peccante, Deus non fuisset incarnatus, incarnatio fuisset decreta solum ex occasione peccati, ac proinde fuisset bonum solum occasionatum; ergo &c.

3. Tertiò ad dignitatem Christi pertinet, vt Christus fuerit à Deo amatus, & decretus pro omnibus circumstantijs; sed si Adamo non peccante, Deus non fuisset incarnatus, Christus non fuisset amatus, & decretus pro aliqua circumstantia, nimirum pro circumstantia Adami non peccantis: ergo &c.

4. Quartò si Deus voluisset Christum existere, non solum pro circumstantia peccati, sed etiam pro circumstantia non peccati, magis amasset Christum, quam si voluisset Christum existere pro sola circumstantia peccati: sed debemus asserere Christum fuisse maximè à Deo amatum; ergo &c.

5. Quintò si Deus creasset angelos, & homines sine Christo, prætulisset angelos, & homines Christo, quod est absurdum.

6. Sextò si Deus pro circumstantia non peccati noluisset ponere Christum, pro tali circumstantia reprobasset Christum, quod est absurdum.

7. Septimò si Deus voluisset Christum propter nos, & propter nostram salutem, tamquam propter finem motiuum, & sine quo non, de facto magis amasset nos, quam Christum, quod est absurdum. Probatur sequela. Nam magis amatur finis, quam medium: sed amasset nos vt finem, Christum vt medium: ergo &c.

8. Octauò si Deus non fuisset incarnatus, si Adam non peccasset, humanitas Christi potuisset saltem speculatiuè gaudere de peccato Adami, quod est absurdum.

9. Nonò præsens decretum non habet vim determinandi non existentiam incarnationis pro casu, pro quo tale decretum non extitisset; sed decretum, quo Deus de facto decreuit incarnationem, non extitisset, Adamo non peccante: ergo non est verum, quod si Adam non peccasset, ex vi præsentis decreti Deus non fuisset incarnatus. Probatur minor. Decretum enim incarnationis de facto voluit incarnationem.

nem in remedium peccati, tanquam propter finem motiuum *sine quo non*; sed si Adam non peccasset, non posset Deus velle incarnationem in remedium peccati; ergo &c.

10. Respondeo, quod quia ostendimus, remedium peccati fuisse motiuum, & causam finalem partialem incarnationis, sequitur, vt examinemus, vtrum fuerit motiuum, & causa finalis *sine qua non*, ita vt si Adam non peccasset, ex vi presentis decreti Deus non fuisset incarnatus, an potius fuerit motiuum, & causa finalis pure accessoria, ita vt si Adam non peccasset, Deus nihilominus incarnatus fuisset.

11. Prima sententia Alexandri 3. par. q. 2. memb. 3. Alberti in 1. dist. 20. artic. 4. Scoti in 3. dist. 7. quaest. 3. & distinct. 19. quaest. vnica, Catharini lib. de eximia praedestinatione Christi, & in quadam annotatione speciali in Comment. Caietani in hunc 3. artic. Suarij tom. 1. in 3. par. disp. 5. & plurium aliorum, docet, Adamo non peccante, Verbum nihilominus incarnandum.

12. Secunda sententia Sancti Thomae in hoc art. 3. Sancti Bonauenturae in 3. distict. 1. art. 2. quaest. 2. quos praeter Caietanum, & Thomistas sequuntur Vasquez hic, disp. 10. Valentia, Lessius, Cardinalis de Lugo, & alij, docet remedium peccati fuisse motiuum principale, & *sine quo non* incarnationis, ac proinde, si Adam non peccasset, ex vi presentis decreti Verbum non incarnandum: & hanc sententiam existimo veram.

13. Probatur fundamento Sancti Thomae. Nam ea, quae ex sola diuina voluntate pendent, ac sunt prorsus indebita, innotescere solum possunt ex ijs, quae Deus in Scripturis, & reuelationibus circa suam voluntatem manifestauit: sed ex sola diuina voluntate pependit, quod Deus fuerit incarnatus in remedium peccati, tanquam propter causam finalem, sine qua non fuisset incarnatus, vel solum tanquam propter motiuum pure accessorium, & *sine quo* fuisset incarnatus; ergo hoc potest nobis innotescere solum ex Scripturis, & ex diuina reuelatione: sed Scriptura vbiq; docet Deum fuisse incarnatum ad reparandum hominem lapsum, vt patet ex locis allegatis quaest. 15. in secundo augmento; inconuenienter autem asseritur Scripturas hoc dicentes asserre motiuum pure accessorium, & *sine quo* Deus nihilominus incarnaretur; ergo &c. Probatur vltimum assumptum. Cum enim dicitur rem fieri propter aliquod motiuum, non solet asferri motiuum accessorium, & *sine quo* res nihilominus fieret, sed principale, & *sine quo non* fieret: ex gr. cum medicus dicit, *Ego veni, vt curem te ab infirmitate tua*, non asserit motiuum accessorium, & *sine quo* venisset, sed principale, & *sine quo non* venisset.

14. Confirmatur: nam Sancti Patres communiter Scripturas, in quibus dicitur Verbum fuisse incarnatum in remedium peccati,

ita explicant, vt dicant Scripturas assignare motiuum principale, & *sine quo non* fuisse incarnatum ergo. Probatur antecedens, asserendo testimonia Patrum Graecorum, & Latinorum.

15. Ex Graecis primo Origenes Homil. 14. in num. dicit: *Pone non fuisse peccatum: non necesse fuerat filium Dei agnum fieri, neque opus fuerat cum in carne positum iugulari, sed mansisset hoc, quod erat a principio Deus Verbum*. Secundo Athanasius serm. 3. contra Arrianos dicit: *Necessitas quippe, indigentiaeque hominum anterior est, quam illius natiuitas, qua sublata, carnem non induisset*. Tertio Basilius homil. 53. de Natiuit. dicit: *A seruitute liberati sunt, & cur Deus inter homines sit requirunt: & paulo post: Propterea Deus est in carne, quoniam maledictam hanc carnem oportebat sanctificare*. Quarto Nazianzenus orat. 4. de Theolog. quae est 36. dicit: *Qua autem humanitatis a Deo propter nos suscepta causa extitit? Profecto vt nobis salus pararetur. Quid enim aliud causa asferri potest? Idem docet Orat. 15. quae est 3. de theologia*. Quinto Chryostomus homil. 3. in Genesim dicit: *Propter nihil aliud Deus induit nostram carnem, & alia humana substinuit, & crucem quoque suscepit, nisi vt nos obnoxios a maledictis liberaret*. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. dialogi de Trinitate dicit: *Nam si non peccassemus, neque similis factus esset nobis, neque substinisset*. Idem docet in Ioann. 18. Septimo Damascenus lib. 4. de fide cap. 4. dicit: *Quia nos melioris participes fecerat Deus, & non custodiimus, assumpsit Deus deterius, nostram dico naturam, vt per se ipsum, & in se ipso renouaret, quod per imaginem, & similitudinem*. Idem docent plures alij.

16. Ex Patribus Latinis primo Irenaeus lib. 5. aduersus Haereses, cap. 5. dixit: *Si non haberet caro saluari, nequaquam Verbum caro factum esset*. Secundo Ambrosius lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento, cap. 6. dicit: *Nam quae erat causa incarnationis, nisi vt caro, quae peccauerat, per se redimeretur*. Tertio Hieronymus in caput. Ecclesiastici dicit: *Quia homo infixus erat in limbo peccati, indiguit maiori auxilio. Idcirco venit ipsa sapientia*. Quarto Augustinus serm. 36. de verbis domini, & serm. 8. de verbis Apost. exponens illud Lucæ 19. *Veni, Filius hominis querere, & saluum faceret quod perierat* dicit: *Ergo si homo non peccaret, Filius hominis non veniret: & serm. 9. de verbis Apostoli. Nulla causa veniendi Christo Domino fuit, nisi peccatores saluos facere, Tolle morbos, tolle vulnera, nulla est medicina causa*. Quinto Leo Magnus serm. 3. de pentecoste dicit: *Si enim homo ad imaginem Dei factus, in sua honore natura mansisset, creator mundi creatura non fieret*. Idem docet alijs locis. Sexto Gregorius Magnus in primū Regum, cap. 3. explicans illa verba: *Iuxta omnia opera sua, quae fecerunt, dicit: Et quidem si Adam non peccaret, redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret. Non enim venit vocare iustos, sed peccatores ad penitentiam. Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata desissent, cum venire non oporteret*. Septimo

mo Anselmus lib. de conceptu Virginis dicit: *Deus factus est homo, quia non sufficeret ad redimendos alios Homo non Deus.* Idem docent alij. Ideo Ecclesia in quodam hymno canit: *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores tanta digna filio;* & alibi ex Sancto Ambrosio canit, *O ceteris necessarium Adæ peccatum:* sed non fuisset necessarium ad incarnationem, si Verbum incarnatum fuisset, etiam si Adam non peccasset: ergo &c. Ex his possumus in confirmationem nostræ sententiæ tria afferre argumenta. Primum est, Scripturæ, & Patres communiter dicunt Deum incarnatum fuisse, ut hominem lapsum repararet, & talem reparationem afferunt ut causam finalem incarnationis; sed valde improprie hoc dixissent, si reparatio hominis esset finis purè impulsivus, & causâ solùm accessoria, & sine qua incarnatio nihilominus fieret: ergo &c.

18. Secundum est. Plures ex allatis Patribus, nimirum Nazianzenus, Chrysostomus, & Augustinus expressè dicunt non fuisse aliam causam, ut Deus incarnaretur, nisi ut hominem lapsum repararet; sed si reparatio hominis fuisset motivum purè accessorium, non potuisset dici Deum non fuisse incarnatum ex alia causâ, cum fuisset alia causâ principalis, propter quam incarnatus fuisset; ergo &c.

19. Tertium est. Plures Patres, nimirum Irenæus, Origenes, Athanasius, Augustinus, Leo Magnus, Cyrillus Alexandrinus, & Gregorius Magnus expressè dicunt, quod si Adam non peccasset, Deus incarnatus non fuisset; ergo expressè docent remedium peccati fuisse motivum, non accessorium, sed principale, sine quo incarnatio non fuisset facta.

20. Confirmatur demum. Nam incarnatio per se, & principaliter fuit opus misericordiæ, & iustitiæ; sed eatenus fuit opus misericordiæ, & iustitiæ, quatenus Deus incarnatus est, ut pro peccatis hominum satisfaceret de condigno, & ut hominem lapsum liberaret à miseria peccati: ergo Deus incarnatus est principaliter, & non solùm accessorie, ut satisfaceret pro peccatis, & hominem lapsum repararet, ac proinde si Adam non peccasset, Deus non fuisset incarnatus. Ex contraria autem sententiâ sequitur incarnationem accessorie solùm, non autem principaliter fuisse opus misericordiæ, & iustitiæ.

21. Respondet Scotus loco supra citato, omnes authores posse exponi sic, scilicet, quod Christus non venisset ut redemptor, nisi homo cecidisset, neque fortè ut passibilis, sed venisset absolute, & in carne impassibili.

22. Sed contra primò. Nam hæc explicatio repugnat verbis Patrum. Negatio enim, ut docent Summulistæ, est malignantis naturæ, adeoque negat rem absolute, & non solùm negat modum rei: ex. gr. dum dicitur: *Petrus non venit Romam,* non solùm negatur

Petrus venisse Romam equo, sed negatur Petrus venisse Romam absolute, ideoque si Petrus venerit Romam absolute, quomodo-cumque venerit, falsa est propositio negans Petrum venisse Romam: ergo dum dicitur, quod Verbum non fuisset incarnatū, si Adam non peccasset, negatur absolute, quod fuisset incarnatum, & non solùm negatur modus incarnationis in carne passibili; sed plures ex Patribus allatis, nimirum Irenæus, Origenes, Athanasius, Cyrillus Alexandrinus, Leo magnus, & Gregorius magnus absolute dicunt, quod si Adam non peccasset, Deus non fuisset incarnatus, & carnem non induisset: ergo &c.

23. Confirmatur. Nam si illa propositio, Verbum non fuisset incarnatum &c. est vera, quia non fuisset incarnatum in carne passibili, sed in impassibili, esset etiam absolute vera hæc propositio, *Verbum post resurrectionem non habet carnem, & non est amplius homo,* quia non habet amplius carnem passibilem, sed impassibilem, & non est amplius homo passibilis, sed impassibilis; sed hæc propositio est absolute falsa, & hæretica: ergo propositio illa Sanctorum Patrum esset absolute falsa.

24. Secundò contra est. Nam illa expositio, est etiam contraria intentioni Scripturarum, & Patrum. Scripturæ enim, & Patres, dum agunt de causâ finali incarnationis, agunt de causâ incarnationis secundum substantiam, & non solùm secundum modum, & volunt explicare, propter quem finem Deus sit incarnatus: ergo cum dicunt Verbum fuisse incarnatum in remedium peccati, ita ut non fuisset incarnatum, si Adam non peccasset, asserunt remedium peccati fuisse causam finalem sine qua non incarnationis secundum substantiam, & non solùm secundum modum, & accidentia passibilitatis, ac proinde explicatio Scoti est contraria intentioni Sanctorum Patrum.

25. Tertio contra est. Nam Patres dicunt Deum incarnatum fuisse in remedium peccati, tanquam propter finem sine quo non, ad exprimentam magnitudinem amoris Dei erga nos, iuxta illud Io. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, & iuxta illud Apostoli ad Romanos 8. Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis donavit?* sed ad magnitudinem amoris spectat, ut Deus ipsam substantiam, ac non solùm passibilitatem incarnationis decreverit propter remedium peccati, tanquam propter causam finalem sine qua non; ergo &c.

26. Ad I. Respondeo primò, distinguo maiorem: Deus semper absolute facit quod est magis conveniens, concedo; ex suppositione includente Deum facere aliquid minus conveniens, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Deus absolute semper facit quod est magis conveniens: & quia magis conveniens fuit, ut

Deus permetteret, quam vt non permetteret peccatum Adæ, idè de facto Deus permisit peccatum Adæ, ac posuit incarnationem in eius remedium. Si non permisisset peccatum Adæ, eo ipso elegisset alium ordinem rerum minus convenientem, ac proindè non est mirum, quod in eo non posuisset incarnationem.

27. Respondeo secundò, concedo maiorem, & nego minorem, ac dico, quod si Adæ non peccasset, conuenientius fuisset, vt Deus non incarnaretur, quam vt incarnaretur. Ratio est, quia cum incarnatio sit maximum opus Dei, ac maximè manifestatiuum diuinorum attributorum, & præsertim misericordiæ, & iustitiæ, non debet poni, nisi cum optimis circumstantiis, in quibus præsertim sit maximè manifestatiua misericordiæ, & iustitiæ diuinæ: sed si Adam non peccasset, incarnatio, ac Christus non posset poni in optimis circumstantiis; siquidem Christus non posset habere gloriam redemptoris, nec posset se ipsum offerre Deo pro peccatis nostris, nec manifestaretur summa iustitia Dei exigens pro peccatis satisfactionem æqualem, imò infinitam, & summa misericordia liberans nos à summa miseria peccati; ergo si Adam non peccasset, conuenientius fuisset, vt Deus non incarnaretur. Explicatur. Nam quædam maxima non debent fieri, nisi in optimis circumstantiis: ex. gr. quia quod rex tradat filium suum pro salute regni, est opus quoddam maximum, non debet rex tradere filium suum pro salute regni, nisi in optimis circumstantiis: ergo quia incarnatio est maximum opus Dei, Deus non debuit incarnari, nisi in optimis circumstantiis.

28. Ad 2. Distinguo maiorem: sequeretur incarnationem fuisse decretam solum ex occasione peccati permessa ad hunc finem, vt incarnatio poneretur in occasione opportunissima, concedo: non permessa ad hunc finem, nego: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Est inconueniens, vt incarnatio fuerit bonum occasionatum, hoc est positum, & intentum ex occasione à Deo non permessa ad finem ponendi incarnationem in occasione opportunissima. At non est inconueniens, quod fuerit bonum occasionatum, hoc est prædefinitum vt ponendum in occasione opportunissima, & permessa à Deo ad hunc ipsum finem, vt in ea tantum bonum poneretur. Incarnatio fuit bonum occasionatum, non primo modo, sed secundo: siquidem Deus videns peccatum Adami futurum occasionem opportunissimam ponendi incarnationem, permisit peccatum Adami ad hunc finem, vt eo posito, opportunissimè poneret bonum incarnationis.

29. Ad 3. Distinguo maiorem: ad dignitatem Christi spectat, vt fuerit amarus, & decretus pro omnibus circumstantiis, pro quibus æque opportunum erat illum poni, concedo; pro quibus minus opportunum erat

illum poni, nego; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ex dictis in responsione ad primum, pertinet ad dignitatem Christi, vt fuerit amarus, & decretus solum pro circumstantiis, pro quibus opportunissimum fuit ipsum poni: sed opportunissimum fuit, vt Christus poneretur, Adamo peccante, minus opportunum, vt poneretur, Adamo non peccante; ergo &c. Confirmatur: nam incarnatio simul, & sacrificium, crucis, in quo Deo offertur victima infinita, iuxta principia Scoti fuit maius bonum, quam sola incarnatio; sed hoc bonum maius etiam iuxta principia Scoti fuit amatum, & decretum, non pro omnibus circumstantiis, sed solum pro circumstantia peccati, ac fuit bonum occasionatum; ergo non est inconueniens, quod incarnatio, quæ fuit bonum minus, fuerit amata, & decreta pro sola circumstantia peccati, ac fuerit bonum purè occasionatum. Hinc confirmatur solutio etiam secundi argumenti.

30. Ad 4. Distinguo maiorem: Deus magis amasset Christum ex parte boni absolute voliti, si voluisset Christum existere etiam pro circumstantia non peccati, nego: ex parte boni conditionate voliti, transeat: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Tomo primo in tractatu de Deo quæst. 61. conclusione 3. num. 11. ex S. Thoma 1. part. qu. 20. art. 2. 3. & 4. dixi Deum omnia æqualitèr amare ex parte amoris, cum omnia amet amore infinito, qui amor est ipse Deus, sed aliqua magis, aliqua minus amare, ex parte boni voliti; siquidem aliquibus vult maius bonum, aliquibus minus bonum. Addo, quod Deus potest magis, aut minus amare, tum ex parte boni absolute voliti, tum ex parte boni conditionate voliti. Si Deus voluisset Christum existere etiam pro circumstantia non peccati, non magis amasset Christum ex parte boni absolute voliti, siquidem non voluisset absolute conferre Christo maius bonum: sed solum magis amasset ex parte boni conditionate voliti, cum bonum existentia Christo voluisset etiam pro circumstantia non peccati. Deus ex parte boni voliti Christum maximè amaui comparatiuè ad reliquas creaturas, cum voluerit humanitati Christi conferre bonum incomparabiliter maius, quam reliquis creaturis. At non maximè amaui comparatiuè ad ipsum Christum, prout existentem in alijs circumstantiis. Nam in alijs circumstantiis potuisset Christum magis amare, illicque conferre maius bonum, puta maiorem beatitudinem. Ex proportionali ratione potuisset humanitati Christi conditionate velle bonum vnionis hypostaticæ pro pluribus circumstantiis, quam velit de facto, & sic illam magis amare conditionate.

31. Ad 5. distingo antecedens: si Deus creasset Angelos, & homines sine Christo, prætulisset Angelos, & homines Christo non existenti prælatione purè omiffiua Christi,

con-

concedo : prætulisset Christo existenti prælatione æstimatiua, qui iudicaret Angelos, & homines habere maius meritum existendi, quam Christum : nego. Si Deus creasset homines, & Angelos sine Christo, prætulisset homines, & Angelos existentes Christo non existenti, quod non est absurdum ; siquidem nullum est inconueniens, vt Deus creaturas minus bonas existentes magis amet, quam creaturas meliores non existentes. Adde hanc fore prælationem purè omiffiuam Christi : siquidem confisteret in eo, vt Deus amaret, & vellet existere homines, & Angelos, & non vellet, sed nollet existere Christum. At non præferret prælatione æstimatiua, qua iudicaret homines, & Angelos habere maius meritum existendi, quam Christum, cum potius iudicaret oppositum, licet pro sua libertate vellet producere homines, & Angelos, non autem Christum.

32. Ad 6. nego sequelam. Reprobare non est vtcumque nolle facere aliquam rem, sed est illam prosequi abominatione, & odio, tanquam malam ; sed Deus non prosequetur Christum abominatione, & odio, tanquam malum, sed solum nollet ipsum ponere : ergo &c.

33. Ad 7. nego sequelam. Ad probationem, distinguo maiorem : magis amatur finis, quam purum medium, concedo ; quam medium, quod etiam habet rationem finis amati gratia sui, nego : distinguo eodem pacto minorem ; & nego consequentiam. Finis potest minus amari, quam quod ita amatur vt medium, vt etiam ametur gratia sui, adeoque vt finis : e. g. si ægrotus desideret sanitatem, tum gratia sui, tum etiam vt medium ad aliquod opus faciendum, potest magis amare sanitatem, quam illud opus : sed Deus licet voluerit Christum vt medium ad nostram salutem, tamen voluit illum etiam gratia sui, imò magis voluit gratia sui, quam vt medium ad nostram salutem : ergo &c.

34. Dices : quod amatur propter aliud, tanquam propter finem motiuum, & sine quo non, minus amatur, quam illud ; sed Christus fuit amatus propter nostram salutem, tanquam propter finem motiuum, & sine quo non : ergo &c.

35. Respondeo, negando maiorem esse veram vniuersaliter. Deus ita voluit Christum propter bonum ipsius Christi, & propter bonum nostrum, vt tum bonum Christi, tum bonum nostrum fuerit finis, non purè impulsiuus, sed motiuus, & sine quo non, & vt ex his duobus finibus partialibus motiuus magis amauerit, & intenderit bonum Christi, vt potè incomparabiliter maius, quam bonum nostrum incomparabiliter minus. Potest nimirum ex duobus finibus motiuus partialibus vnus magis amari, quam alter.

36. Ad 8. Respondeo primo argumentum esse soluendum etiam ab aduersarijs.

Par. III.

Nam Christus non habuisset officium redemptoris, si Adam non peccasset : ergo non potuisset gaudere de officio redemptoris, quin saltem speculatiuè gauderet de peccato Adami.

37. Respondeo secundo directè, negando sequelam. Licet enim aliquis gaudeat de bono, quod Deus elicit ex peccato, non potest rationabiliter gaudere de peccato : sed Christus vt potè impeccabilis non potuit gaudere, nisi gaudio rationabilissimo ; ergo &c. Confirmatur : nam licet Deus gaudeat de poenitentia, & de alijs bonis, quæ ita fuerunt ex occasione peccati, vt non solum non fuissent, sed neque potuissent esse, si peccatum non fuisset, tamen non delectatur, nec potest delectari peccato ; ergo &c.

38. Dices primo. Saltem Christus non potuisset efficaciter, quantum est ex se, velle, vt Adam non peccasset. Qui enim necessario vult aliquid, non potest efficaciter velle, vt non extiterit id, sine quo illud non extitisset ; sed Christus necessario, & non liberè vult suam existentiam, & felicitatem ; ergo non potest efficaciter velle, vt non extiterit peccatum, sine quo Christus non extitisset, & non fuisset adeptus felicitatem.

39. Respondeo, concedo consequentiam, si loquamur de voluntate beneplaciti, ac dico, quod voluntas humana Christi circa peccatum Adæ necessario fuit conformis voluntati diuinæ. Sicut ergo Deus ex amore Christi vt ponendi non voluit efficaciter voluntate beneplaciti, vt Adam non peccaret, imò voluit permittere peccatum, ac proinde peccatum Adami noluit sola voluntate signi coniuncta cum voluntate beneplaciti permittendi peccatum Adæ, sic Christus, cum necessario vellet suam existentiam, ac sciret se non extitutum, si Adam non peccasset, non potuit efficaciter, quantum est ex se, voluntate beneplaciti velle, vt Adam non peccaret, ac vt Deus non permitteret peccatum Adæ, imò debuit gaudere de hoc, quod Deus permiserit peccatum Adæ, & illud efficaciter non impedierit, ac solum, potuit peccatum Adæ vt præteritum nolle voluntate signi coniuncta cum gaudio de eius permissione, eo pacto, quo Deus peccatum Adæ vt futurum noluit sola voluntate signi coniuncta cum voluntate efficaci illud permittendi.

40. Dices secundo : Sanctus Thomas 1. p. qu. 98. artic. 1. docet, Adamo non peccante, futuras fuisse in statu innocentie generationes hominum ad conseruandum genus humanum, & probat, quia alioquin peccatum Adami fuisset valdè necessarium ; siquidem ex ipso secutum fuisset tantum bonum ; ergo à fortiori dicendum, quod Adamo non peccante, incarnatio fuisset alioquin peccatum Adæ fuisset necessarium ad incarnationem, quæ est bonum multo maius generationibus hominum.

41. Respondeo, negando consequentiam. Absurdum est peccatum Adami fuisse necessarium ad bonum generationum, quod est ex se debita naturæ; sed incarnatio non est debita naturæ; ergo non est absurdum peccatum Adami fuisse quodammodo necessarium ad incarnationem, ideoque Ecclesia canit: *O certè necessarium Adæ peccatum.*

42. Ad 9. Respondeo primo, transeat maior, & nego minorem. Dicit enim potest decreto, quo Deus voluit absolutè incarnationem in remedium peccati, quod decretum non extitisset, si Adam non peccasset, adiunctum fuisse aliud decretum conditionatum distinctum quoad suum vltimum complementum, quo dixerit, *si Adam non peccaret, nollem incarnari*, quod decretum conditionatum dari potuisset, & datum fuisset etiam Adamo non peccante, & ex vi ipsius non fuisset facta, incarnatio.

43. Responderi potest secundo, distingo maiorem; præsens decretum incarnationis non habet vim determinandi conditionatè non existentiam incarnationis pro casu, pro quo tale decretum non extitisset, nego; non habet vim determinandi absolutè, concedo maiorem; & concessa minori, distingo eodem pacto consequens. Decretum præsens, quo Deus dicit; *Ego volo incarnari in remedium peccati, & si Adam non peccaret, nollem incarnari*, cum nunc existat, nunc est ipsa formalis determinatio conditionata ad hoc, vt si Adam non peccaret, ac proindè non existeret hoc ipsum decretum connexum cum existentia peccati Adæ, incarnatio non existeret; at purificata conditione, quod nimirum Adam non peccaret, hoc decretum non existeret, ac proindè non determinaret absolutè non incarnationem. Quod enim non existit, quando non existit, non potest quicquam determinare.

44. Dices primò. Quod determinat aliquid conditionatè, purificata conditione, determinat illud absolutè; sed hoc decretum, purificata conditione, non existeret, ac proindè non determinaret absolutè negationem incarnationis; ergo neque nunc est determinatio conditionata in genere causæ formalis.

45. Respondeo distingo maiorem; quod determinat aliquid conditionatè sub conditione includente, vel connexa cum sua non-existentia, purificata conditione, determinat illud absolutè, nego; sub conditione non-connexa cum sua non-existentia, transeat; concedo minorem; & nego consequentiam. Decretum præsens incarnationis ita absolutè vult incarnationem in remedium peccati, vt conditionatè velit negationem incarnationis, si Adam non peccaret, ac proindè si non existeret hoc ipsum decretum, ac non determinaret absolutè negationem incarnationis; ergo ita est determinatio conditionata negationis incarnationis, vt purificata conditione, non determinaret absolutè negationem incarnationis.

46. Dices secundo; ergo falsum est, quod si Adam non peccaret, negatio incarnationis daretur ex vi præsentis decreti.

47. Respondeo distingo consequens; ergo falsum est, quod si Adam non peccaret, negatio incarnationis daretur ex vi præsentis decreti, si *ly ex vi* cadat supra totam propositionem conditionatam, nego; si cadat supra solum obiectum conditionatum, concedo. Propositio allata potest habere duplicem sensum. Primus est; si Adam non peccasset, daretur negatio incarnationis, & hæc veritas conditionata datur ex vi præsentis decreti, & in hoc sensu propositio est vera; siquidem hæc veritas conditionata identificatur cum præsentis decreto. Secundus est, si Adam non peccasset, daretur negatio incarnationis, & talis negatio daretur ex vi præsentis decreti, & in hoc sensu propositio est falsa, Propositio ab auctoribus profertur in primo sensu, non autem in secundo.

48. Dices tertio; si Adam non peccasset, Deus esset indifferens ad volendam, vel nolendam incarnationem; ergo non est, cur dicamus, quod potius noller, quam vellet incarnationem.

49. Respondeo, distingo antecedens; Deus esset indifferens, sed nunc datur determinatio conditionata, vt non incarnaretur, concedo; & non datur talis determinatio, nego. Quia nunc datur hæc veritas conditionata, identificata cum præsentis decreto, *si Adam non peccaret, Deus non incarnaretur, & se liberè determinaret ad non se incarnandum*, debemus asserere, quod non incarnaretur.

50. Addo hoc argumentum soluendum esse etiam à Scotistis. Scotista enim concedunt, quod si Adam non peccasset, Christus ex vi præsentis decreti non incarnatus fuisset in carne passibili; sed si Adam non peccasset, non esset hoc decretum, vt potè quod voluit incarnationem in carne passibili; ergo non fuisset incarnatus ex vi decreti, quod tunc non esset, ac proinde argumentum soluendum est in vtraque sententia.

QVAESTIO XVII.

Vtrum Adam in statu innocentie habuerit gratiam ex meritis Christi?

1. Videtur habuisse; primo, quia dignius sentimus de Christo, si dicamus ipsum meruisse totam gratiam, non solum quæ data fuit hominibus post peccatum, sed etiam, quæ data fuit Adæ ante peccatum; ergo ita dicendum est.

2. Secundo si Christus non meruisset primis parentibus gratiam, quam habuerunt ante peccatum, sequeretur, quod neque meruisset gloriam illam, quæ debebatur ipsis ratione talis gratiæ; sed primi parentes de facto habent talem gloriam; siquidem meruimus, & ius

ius ad illam gloriam, quod meritum per peccatum fuit mortificatum, reuixit per pœnitentiam, vt docet sententia communis penè omnium; ergo primi parentes de facto haberent aliquam gloriam, quam Christus ipsis non meruisset: quod est absurdum.

3. Tertio Adam ante peccatum habuit reuelationem Christi venturi, vt docet Sanctus Thomas 3. par. quæst. vnica artic. 3. ad 5. & vt docet communis sententia: habuit etiam fidem Christi venturi, vt docet idem Sanctus Thomas loco citato, & 2. 2. quæst. 2. artic. 3. & vt ex Patribus docuerunt Tertullianus lib. de anima, cap. 11. & 21. & lib. 3. contra Marcionem, cap. 5. Hieronymus in cap. 5. ad Ephesios, Augustinus lib. 9. de Genesi ad literam, Epiphanius hæresi 48. & alij; sed omnis fides Christi venturi est ex meritis Christi; ergo &c.

4. Respondeo duas esse sententias. Prima satis communis eorum, qui dicunt Christum prædestinatum fuisse ante præuisum peccatum Adæ, ac venturum fuisse, etiam si Adam non peccasset, docet Christum venisse, non solum vt mereretur gratiam homini lapso, sed etiam vt ipsam mereretur homini integro, ac proinde Adamum in statu innocentie habuisse gratiam ex meritis Christi.

5. Secunda sententia communior Sancti Thomæ in 2. dist. 29. quæst. vnica artic. 3. ad 5. Alexandri 2. p. quæst. 91. memb. 2. artic. 1. Sancti Bonauenturæ in 2. dist. 29. artic. 3. Aegidij, Richardi, Almaini, Soti lib. 1. de natura, & gratia, cap. 6. quos refert, & sequitur Vasquez 3. part. disp. 12. cap. 2. docet, gratiam datam fuisse Adæ ante peccatum ex sola liberalitate Dei, non autem ex meritis Christi: & hæc sententiam existimo probabilior.

6. Probatum primo. Nam Christus Matthæi 9. dicit: *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus*, & paulo post: *Non enim veni vocare iustos, sed peccatores*: sed si Christus venisset, vt mereretur gratiam primo homini ante peccatum, venisset vocare, non solum peccatores, sed etiam iustos, ac non solum pro malè habentibus, sed etiam pro sanis, & valentibus: ergo &c.

7. Probatum secundo: nam primus Adam fuit caput generis humani ante peccatum, Christus autem est caput generis humani post peccatum, & ideo ab Apostolo vocatur secundus Adam; sed si Christus meruisset Adamo gratiam, quam habuit ante peccatum, non Adam, sed Christus fuisset caput generis humani etiam ante peccatum, ac proinde non fuisset secundus Adam, sed primus: ergo &c.

8. Probatum tertio: nam Christus de facto nihil meruit, nisi per merita, quæ habuit in carne passibili, ac merita sua obtulit, vt coniuncta merito mortis; sed Christus non est passus, ac mortuus nisi pro peccatoribus: ergo &c. Ideò Augustinus lib. de correptione, & gratia, cap. 11. loquens de Adamo di-

cit: *ille in illis bonis Christi morte non eguit: istos (hoc est posteros Adæ) à reatu, & hæreditario, & proprio, Christi sanguis absoluit. Ex proportionalibus rationibus Christus non meruit gratiam Angelis.*

9. Ad 1. nego antecedens, ac dico ad dignitatem Christi spectare, vt meritum fuerit totam gratiam, quæ conueniens erat, vt daretur ex meritis, non autem illam gratiam, quæ conueniens erat, vt daretur ex pura Dei liberalitate; sed conueniens fuit Deo, vt hominibus, & Angelis innocentibus in primæ eorum conditione daret gratiam sanctificantem, & iustitiam originalem ex pura liberalitate, & simul conueniens fuit, vt hominibus post peccatum peccata non remitteret, & amissam gratiam non restitueret, nisi oblata æquali, & condigna satisfactione: ergo ad dignitatem Christi pertinuit, vt meruerit illam solam gratiam, quæ datur hominibus post peccatum, non autem illam gratiam, quæ data fuit hominibus, & Angelis innocentibus.

10. Ad 2. distingo maiorem: si Christus non meruisset primis parentibus gratiam, quam habuerunt ante peccatum, neque meruisset eius gratiæ recuperationem post peccatum, non meruisset gloriam tali gratiæ respondentem, concedo: si non meruisset gratiam illam, sed meruisset eius gratiæ recuperationem, non meruisset gloriam respondentem tali gratiæ vt recuperata; nego maiorem; concedo minorem; & nego consequentiam. Christus licet non meruerit primis parentibus gratiam, quam habuerunt ante peccatum, tamen meruit illis talis gratiæ recuperationem post peccatum; sed de facto primi parentes gloriam tali gratiæ respondentem habent dependentem à recuperatione gratiæ, & reuiuiscencia meritorum: ergo primi parentes de facto nullum gradum gloriæ habent, quem Christus ipsis non meruerit.

11. Ad 3. concedo maiorem, & distingo minorem: omnis fides Christi venturi, quæ fit post peccatum, est ex meritis Christi, concedo: quæ fuerit in natura innocenti ante peccatum, nego minorem; & nego consequentiam. Sicut Adamo, & Angelis ante peccatum Deus ex pura liberalitate dedit alia dona gratiæ, sic etiam dedit fidem Christi venturi, quæ fides proinde non fuit causata à Christo, tamquam à causa meritoria, sed solum tamquam ab obiecto, seu causa obiectiua. Iam euident est, quod actus fidei potest causari ab aliquo futuro, tamquam à causa obiectiua, absque eo quod ab eodem causetur, tamquam à causa meritoria. Nam actus fidei, quo credo Antichristum peccaturum, causatur à futuro peccato Antichristi, tamquam à causa obiectiua, & non tanquam à causa meritoria.

QVAESTIO XVIII.

*Utrum principalis incarnatio facta fuerit
ad tollendum peccatum originale,
quam actuale?*

S. Tho. quest. 1. art. 4.

1. **V**idetur incarnatio principalis facta, fuisse ad tollendum peccatum actuale, quam originale: primo quia principalis facta fuit ad tollendum peccatum, quod est grauius; sed peccatum mortale actuale est grauius originali, ideoque peccato actuali debetur poena grauior, quam originali, cui debetur poena mitissima, vt docet Augustinus lib. 5. contra Iulianum, cap. 8. ergo &c.

2. Secundo Christus principalis venit ad tollendum illud peccatum, cuius poenam voluit sustinere; sed Christus voluit sustinere solam poenam sensus, quae debetur peccato actuali, non autem poenam damni, quae sola debetur peccato originali, vt docet Sanctus Thomas in 2. dist. 33. quest. 2. art. 2. ergo &c.

3. Respondeo, ponendo cum Sancto Thoma duas conclusiones. Prima conclusio omnino certa, ac de fide est: incarnatio est facta, & Christus venit in mundum, non solum ad delendum peccatum originale, sed etiam ad delendum omnia peccata actualia, tum mortalia, tum venialia, quae postmodum superaddita sunt; siquidem exhibuit satisfactionem, & meritum sufficiens ad delenda omnia peccata hominum, licet non omnia deleat propter defectum hominum, qui Christo non inhaerent, iuxta illud Io. 3. *Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Probatur ex Paulo, qui ad Romanos 5. dicit: *non sicut delictum, ita & donum. Nam iudicium ex vno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Confirmatur: nam Isaia 53. dicitur, *attribus est propter scelera nostra: omnes nos quasi oves errauimus, vnusquisque in viam suam: & posuit dominus in eo iniquitatem omnium nostrum: sed scelera sunt peccata actualia, iniquitas est peccatum originale: ergo &c.* Rursus 1. Io. 1. dicitur: *Sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato, vbi loquitur etiam de venialibus; siquidem de venialibus debet intelligi id, quod addit: si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

4. Secunda conclusio est: Christus principalis venit ad delendum peccatum originale, quam ad delendum actuale. Probatur: nam cum Christus venerit in remedium peccati, principalis venit in remedium peccati maioris; sed peccatum originale est simpliciter maius actuali: ergo &c. Probatur minor. Nam licet peccatum actuale sit maius

intensiuè, cum sit magis voluntarium, vt docet S. Thomas 1. 2. quest. 81. art. 1. tamen peccatum originale est maius extensiuè, cum sit peccatum totius humanae naturae, & inficiat omnes homines; sed tum bonum, tum malum, quod est commune totius gentis, licet sit minus intensiuè, tamen simpliciter est maius, quam bonum, & malum vnus personae singularis, ideoque Aristoteles 1. Politicorum, cap. 5. dicit, quod bonum gentis diuinius, & eminentius est, quam bonum vnus: ergo &c. Ideo Beda, & refertur in glossa ordinaria, in illud Ioannis 1. *Ecce qui tollit peccatum mundi*, dicit. *Peccatum mundi dicitur originale, quod est commune totius mundi.*

5. Contra hanc rationem occurrit dubium ex Caietano in Commentario. Nam omnes, qui habuerunt peccatum originale, habuerunt etiam aliquod peccatum actuale: ergo peccatum originale non est extensiuè maius actuali, cum non extendatur ad plures.

6. Responderi potest primo, negando antecedens. Nam qui moriuntur ante vsum rationis habent solum peccatum originale sine vllo actuali. Responderi potest secundo, transeat antecedens, & nego consequentiam. Illud enim peccatum dicitur extensiuè maius, quod ita inficit quamlibet determinatam personam, vt ex se debeat propagari in totam eius posteritatem; sed hoc conuenit soli peccato originali, nulli actuali: ergo. Confirmatur: nam peccatum originale est causa, & radix omnium peccatorum actualium ab hominibus commissorum, & committendorum.

7. Quæri potest, vtrum Christus venisset propter solum peccatum originale, etiam si nulla commissa fuissent peccata actualia, vel propter sola actualia, etiam si non daretur peccatum originale?

Respondeo plures esse sententias, quas refert Vasquez disp. 13. cap. 1.

8. Dicendum primo: ex vi praesentis decreti, si daretur solum peccatum originale, ac nullum actuale, Verbum nihilominus incarnaretur. Probatur: nam Verbum est incarnatum, ne totum genus humanum periret propter peccatum vnus; sed si daretur peccatum originale, & nullum daretur actuale, adhuc totum genus humanum periret propter peccatum vnus; ergo &c.

9. Dicendum secundo: probabilius est, quod si darentur sola peccata mortalia actualia, Verbum incarnaretur, etiam si non daretur peccatum originale. Probatur: nam Christus venit, vt saluaret peccatores, iuxta illud Matth. 9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores;* & vt in saluandis peccatoribus maximè manifestaret diuina attributa, praesertim misericordiae, & iustitiae: ergo probabile est, quod etiam si non daretur peccatum originale, dummodo darentur peccatores, in quibus saluandis, & redimendis manifestaretur diuina misericordia.

fericordia, & iustitia, adhuc incarnaretur. Addo probabile esse, quod incarnaretur, non solum si omnes, aut plerique peccarent mortaliter, sed etiam si pauciores. Hoc enim dicentes, dignius de diuina misericordia sentimus. Confirmatur auctoritate Chrysostomi, qui homil. 3. in acta Apostolorum, explicans illa verba, & *dederunt eis sortes*, insinuat Verbum incarnandum, etiam si vnus tantum peccaret mortaliter, dicens. *Vnius animæ perditio tantam habet iacturam, vt nulla ratio possit æstimare. Etenim vnus animæ salus tanti est, vt ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur.* Sed hoc non caret difficultate. Sequeretur enim, quod si postquam Hæva peccauit, Adam non peccasset, Verbum nihilominus fuisset incarnatum, quod repugnat Patribus.

10. Dices primo: asserimus, quod Verbum fuisset incarnatum, si Adam non peccasset, & alij homines peccasset: ergo recedimus à sententia Sancti Thomæ, & Sanctorum Patrum dicentium, quod si Adam non peccasset, Verbum non fuisset incarnatum.

11. Respondeo, negando consequentiam. Duplex potest fieri quæstio conditionata. Prima est, vtrum si Adam non peccasset, Verbum fuisset incarnatum. Ad hanc quæstionem conditionatam, quam solum examinat Sanctus Thomas, respondemus cum aliquibus, quod si Adam non peccasset, ex vi præsentis decreti nullus posterorum Adæ peccasset, saltem mortaliter, ac Verbum non fuisset incarnatum. Quod autem si Adam non peccasset, nullus hominum fuisset peccaturus mortaliter, docet Magister sententiarum in 2. distinct. 20. quos sequuntur alij multi. Idem ex Patribus docent Anselmus lib. *cur Deus homo*, cap. 18. Gregorius Magnus lib. 4. moralium, cap. 36. Augustinus lib. 1. retractationum, cap. 13. Boënius lib. *de fide christiana*. & alij.

12. Secunda quæstio conditionata est, vtrum, si Adam non peccasset, & alij homines peccasset, ex vi præsentis decreti Verbum fuisset incarnatum: & ad hanc quæstionem, quam S. Thomas non proponit, respondemus affirmatiuè, ac proinde non contradicimus S. Thomæ.

13. Dices secundo: Irenæus lib. 2. aduersus hæreses, cap. 14. dicit: *Si enim non haberet caro saluari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset: & si non haberet sanguis iustorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus: ergo Irenæus existimat, quod Christus non venisset, nisi fuissent peccata personalia, præsertim occisionis iustorum, puta Abel, & Prophetarum, &c.*

14. Respondeo, quod quia peccatum originale fuit radix omnium peccatorum actualium, ita vt nisi fuisset originale, neque fuissent peccata mortalia actualia occisionis Prophetarum, ideo Irenæus dicit, quod si non fuissent peccata actualia, ac proinde non fuisset originale, quod fuit eorum radix, Chri-

stus non venisset; at non dicit, quod non venisset, si fuisset originale, & non fuissent peccata actualia occisionis iustorum.

15. Ad 1. concedo maiorem, & distingo minorem: peccatum actuale est intensiuè grauius originali, concedo: est simpliciter, & extensiuè, nego; & nego consequentiã. Peccatum originale licet intensiuè sit minus graue, peccato actuale, tamen extensiuè, & simpliciter est grauius, ac proinde incarnatio principalis est facta in remedium originalis, vt potè simpliciter grauioris.

16. Ad 2. Peccato originali in vita futura debetur solum pœna damni, sed in vita præsentis debetur mors, dolores, & alia mala, quæ spectant ad sensus; ergo Christus hæc patiens, passus est pœnam debitam peccato originali.

QVÆSTIO XIX.

Vtrum conueniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi, vel incarnationem differri vsque ad finem mundi?

S. Thom. quæst. 3. artic. 5. & 6.

1. **V**idetur conueniens fuisse, vt incarnatio fieret ab initio mundi. Vt enim docet Apostolus 1. ad Timotheum 1. *Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere; sed plures saluati fuissent, si Deus incarnatus fuisset ab initio mundi: ergo &c.*

2. Secundo videtur ex alia parte, quod incarnatio debuerit differri vsq; ad finem mundi. Quod enim potest fieri per vnum, non debet fieri per duo; sed ad salutem hominum sufficeret vnus aduentus Christi in fine mundi, ergo non debuerunt dari duo aduentus Christi, alter in fine mundi, alter in medio temporis, ac proinde incarnatio debuit differri vsque ad finem mundi.

3. Respondeo, quod dupliciter Deus potuisset incarnari ab initio mundi: primo ita, vt incarnaretur, antequam Adam peccaret: secundo vt incarnaretur statim post peccatum Adami. Sanctus igitur Thomas quæstionem examinans in vtroque sensu, respondet per duas conclusiones.

4. Prima conclusio est: non fuit conueniens, vt Deus incarnaretur ab initio mundi, antequam Adam peccaret. Probat: nam medicina non debet dari, nisi iam infirmis; sed incarnatio fuit ordinata vt medicina in remedium peccati, ideoque Christus Matth. 9. dixit: *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores: ergo incarnatio non debuit fieri, antequam genus humanum per peccatum esset infirmum.*

5. Secunda conclusio est: non fuit conueniens, vt Deus incarnaretur statim post peccatum Adami. Probat conclusionem Sanctus Thomas quatuor rationibus. Prima est:

medicina debet ita adhiberi, vt sit conueniens ægrotanti; sed primus homo peccauit peccato superbiæ: ergo incarnatio in remedium peccati debuit ita fieri, vt homo prius humiliaretur, & cognosceret se esse infirmum, atque indigere remedio, & liberatione per Christum: sed vt homo hoc agnosceret, debuit primo relinqui in statu naturæ, vt experiretur se per vires liberi arbitrij non posse moraliter à peccatis abstinere; deinde debuit constitui in statu legis scriptæ, vt experiretur se per legem non solum non potuisse liberari à morbo peccati, sed talem morbum ex occasione legis inualuisse, non defectu legis, sed defectu naturæ per peccatum originale vitiatæ, & cognita sua infirmitate clamaret ad medicum, & imploraret auxilium gratiæ; ergo &c. Desumpta videtur hæc ratio ex Sancto Leone, qui serm. 3. de Epiphania dicit: *Vt clarior fieret exercendæ gratiæ magnitudo, tunc placuit abolendis peccatis hominum sacramentum remissionis offerri, quando nemo poterat de suis meritis gloriari.*

6. Secunda ratio est. Conueniens fuit, vt humana natura paulatim à statu imperfectiori naturæ perduceretur ad statum perfectiorem legis scriptæ, ac demum ad statum perfectissimum legis Euangelicæ, ac gratiæ per Christum, ideoque Apostolus 1. ad Corinth. 15. dicit. *Non prius, quod spirituale est, sed quod animale. Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cælo cælestis.*

7. Tertia ratio est: sicut ad dignitatem iudicis pertinet, vt eum præcedant multi præcones, sic ad dignitatem Verbi pertinuit, vt eum præcederet longa series Prophetarum. Hæc ratio desumpta est ex S. Augustino tract. 31. in Ioann., vbi dicit. *Quanto maior index veniebat, tanto præconum series longior præcedere debebat.*

8. Quarta ratio est, ne feruor fidei temporis prolixitate tepesceret; quia circa finem mundi tepescet charitas multorum, ideoque Lucæ 18. Christus dicit: *Cum filius hominis veniet, puta inueniet fidem in terra?*

9. Tertia conclusio est. Incarnatio sicut non debuit fieri initio mundi, sic nec debuit differri vsque ad finem mundi, sed fieri debuit in medio temporis, iuxta illud Abacuh 3. *In medio annorum natum facies.*

10. Prima ratio est, quia in eo, quod ex imperfecto debet perducere ad perfectum, imperfectum debet præcedere perfectum: cum autem vnum debet alia ex imperfecto perducere ad perfectum, perfectum debet præcedere imperfectum: sed incarnatio fuit facta, tum vt natura humana ab imperfecto perduceretur ad perfectum, tum vt Christus coeteros homines imperfectos perduceret ad perfectionem beatitudinis, ideoque Ioan. 1. de Christo dicitur: *De plenitudine eius omnes accepimus;* ergo ex primo capite natura humana debuit esse in statu imperfecto, deinde debuit perducere ad perfectionem incarnationis, ac proinde

incarnatio non debuit fieri ab initio mundi; ex alio capite Christus, qui debuit alios perficere, debuit præcedere perficiendos, ac proinde debuit poni antequam homines in fine mundi peruenirent ad perfectionem beatitudinis; ergo incarnatio non debuit differri vsque ad finem mundi, sed sola perfectio gloriæ animæ, & corporis differri debuit vsque ad finem mundi.

11. Secunda ratio est, quia si incarnatio dilata fuisset vsque ad finem mundi, penè totaliter abolita fuisset Dei notitia, & reuerentia, & honestas morum in terris.

12. Tertia ratio est. Incarnatio debuit fieri ita, vt homines saluarentur, non solum per fidem Christi præsentis, & futuri, sed etiam per fidem Christi præteriti, vt sic diuina virtus magis manifestaretur; sed si incarnatio dilata fuisset vsque ad finem mundi, homines non fuissent saluati per fidem Christi præteriti, ergo &c.

13. Debet aduerti, quod dum dicitur non fuisse conueniens Deum incarnari ab initio mundi, non negatur absolutè omnis conuenientia; alioquin Deus non potuisset incarnari ab initio mundi, cum non possit facere id, quod nullo pacto est conueniens: sed solum negatur conuenientia comparatiua, & asseritur non fuisse conueniens, vt Deus incarnaretur ab initio mundi, sicut fuit conueniens, vt incarnaretur tempore, quo est incarnatus. Potest etiam hæc propositio: *non fuit conueniens Deum incarnari ab initio mundi,* ita explicari, vt sensus sit: fuit conueniens Deum non incarnari ab initio mundi, sed differri incarnationem ad tempus, quo de facto est incarnatus. Debet rursum aduerti rationes allatas esse congruentias facti. Præcipua siquidem ratio est, quia Deus sic voluit. Ideo ad Galatas 4. dicitur: *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege:* vbi glossa dicit, quod plenitudo temporis, est quod prædefinitum fuit à Deo Patre, quando mitteret filium suum. Sed quia voluntas Dei est rationalissima, & omnia disponit ex summa sapientia, ideo assignandæ sunt rationes, propter quas Deus incarnari voluerit, non ab initio, neque in fine mundi, sed in medio temporis.

14. Ad 1. respondet Sanctus Thomas ex S. August. lib. de dono persenerantia, cap. 11. quod Deus venit in hunc mundum saluos facere peccatores, sed ita, vt licet omnibus dederit auxilia sufficientia ad salutem, tamen quos voluit, misericorditer saluauerit, alios autem iuste perire permiserit. Debet aduerti, quod licet Deus non sit incarnatus ab initio mundi, tamen ab initio mundi statim post peccatum prouisum fuit hominibus remedium, quo possent saluari. Ratio est, quia licet Christus non sit mortuus statim post peccatum, tamen Deus acceptauit mortem Christi, ac si Christus mortuus fuisset statim post peccatum in ordine ad remedium peccati, ideo-

ideoque homines poterant iustificari per Christum, quem ventorum credebant, fide magis, aut minus confusa, vel distincta. Ideo Apocal. 13. *Christus dicitur agnus occisus ab origine mundi*, quia efficacia mortis Christi profuit hominibus ab origine mundi, ita svt omnes habuerint auxilia, iussicientia ad consequendam salutem, & remissionem peccati. Post Christum tamen homines habent maiora remedia, & auxilia ad salutem.

15. Ad 2. Nego minorem. Debuerunt enim dari duo adventus Christi, alter ad miserendum, & redimendum, alter ad iudicandum, vt docet Chrysostomus homil. 17. in Ioann. cuius verba videri possunt apud S. Thomam hoc art. 6. ad 3.

TRACTATUS IV.

De Incarnatione ipsa, ac de vnione hypostatica, & de assumptione naturæ humanæ.

S. Th. qu. 2. & seqq.



POTSQVAM S. Thomas qu. 1. egit de conuenientia, necessitate, tunc, & motiuo incarnationis, descendit ad agendum de ipsa incarnatione: & quia incarnatio facta est per vnionem, per quam Deus assumpsit naturam humanam, agit de hac vnione, & quæst. 2. agit de ipsa vnione secundum se: quæst. 3. de persona, quæ per vnionem assumpsit naturam humanam cum perfectionibus gratiæ, scientiæ, & potentiæ: quæst. 4. de natura humana assumpta: quæst. 5. de partibus naturæ assumptæ: quæst. 6. de ordine, quo assumpsit partes naturæ humanæ. Et quia Filius Dei assumpsit naturam humanam cum perfectionibus gratiæ, scientiæ, & potentiæ, quæst. 7. & 8. agit de gratia Christi: Quæst. 9. 10. 11. & 12. agit de scientia Christi. Quæst. 13. de potentia animæ Christi. Quæst. 14. de defectibus, quos Christus in natura humana assumpsit ex parte corporis: Quæst. 15. de defectibus, quos assumpsit ex parte animæ: Quæst. 16. & sequentibus vsque ad 26. agit de consequentibus vnionem. Incipimus explicare quæstiones de vnione: & quia circa vnionem multi fuerunt errores, qui à S. Thoma paulatim referuntur, & reijciuntur, libet illos simul proponere.

QVÆSTIO XX.

Proponuntur errores circa incarnationem, & vnionem hypostaticam.

1. **P**lures circa incarnationem, & vnionem Verbi cum humana natura fuerunt hæ: Tom. III,

refes, & errores. Primus, & præcipuus error est eorum, qui dixerunt vnionem humanitatis, & diuinitatis in Christo, non fuisse factam in vnitate personæ substantialiter, sed accidentaliter, & secundum habitudinem, & affectum dumtaxat, ita vt in Christo sint duæ personæ, altera Dei, altera hominis. Primus, qui hunc errorem docuit, vt existimat Vasquez tom. 1. in 3. par. disput. 5. num. 1. fuit Carpocrates auctor hæreticorum, qui dicti sunt gnostici, hoc est scientes, cui hunc errorem tribuant Irenæus lib. 1. contra hæreses, cap. 14. Tertullianus lib. de Præscriptionibus contra hæreticos, cap. 48. Epiphanius contra Hæreses, hæresi 27. & Eusebius lib. 4. Historiæ cap. 7. Carpocrates igitur docuit Christum fuisse purum hominem, probum tamen, & sanctum, qui virtutibus omnibus præcelluit. Carpocratem sequuti sunt Cherinthus, & Ebion auctor Ebionitarum, qui omnes vixerunt tempore Apostolorum, ac prodierunt ex schola Simonis Magi, vt scribit Eusebius lib. 3. Historiæ, cap. 27. & 28. Theodoretus lib. 2. hæreticarum fabularum, initio. Nicephorus verò lib. 8. hist. cap. 14. speciatim narrat Ioannem Apostolum, & Euangelistam, cum Ephesi obuium habuisset Cherinthum in balneo, dixisse socijs, *recedamus hinc ne balneum concidat, & simul nos cum Cherinbo opprimat.* Hoc idem narrat Theodoretus lib. 2. hæreticarum fabularum, Epiphanius lib. aduersus hæreses, hæresi 3. & Irenæus lib. 3. contra hæreses, cap. 3. qui addit vsque ad sua tempora vixisse aliquos, qui audierant Ioannem dixisse verba relata. Cherinthus portò, vt refert idem Irenæus lib. 1. contra hæreses, cap. 15. docuit Iesum fuisse purum hominem, & supra illum purum hominem in Baptismo descendisse Christum, Dei filium in specie columbæ, illique annuicias incognitam Patrem, & virtutes, ac miracula fecisse: in fine autem Christum iterum reuolasse de Iesu, & Iesum à Christo derelictum passum esse, ac resurrexisse, Christum autem impassibilem perseuerasse existentem spiritualem.

2. Contra hunc errorem Ioannes scripsit suum Euangelium rogatus ab Episcopis Asiæ, vt docet Hieronymus lib. de Scripturibus Ecclesiasticis, cap. de Ioanne Euangelista. Ideo Ioannes ad ostendendum eandem personam fuisse simul hominem, & Deum, cum initio capitis primi dixisset, *Deus erat Verbum*, inferius addidit, *Verbum caro factum est*, quia eadem persona, quæ ab initio erat Verbum Deus, in tempore facta est caro, & homo. Cap. etiam 20. existimatur contra Cherinthum, qui asserbat Iesum non esse Christum filium Dei, dixisse: *Hæc autem scripta sunt vt credatis, quoniam Iesus est Christus filius Dei: & Epist. 1. cap. 1. Omnis, qui credit, quod Iesus est Christus, ex Deo est.*

3. Hunc errorem sequuti sunt deinde Paulus Samosatenus Episcopus Antiochenus, quæ vixit sub Scuero Imperatore circa annum

G